



M.
d. p.
H.
J. v.
A.
A.
J.
d. A.
o.
d. h.
A.
A.
A.
A.
A.
A.



21.

10

Q. B. V.
DISPUTATIO ETHICA

De

TEMPERANTIA,

Inclytæ Facultatis Philo-
phicæ permissu proposita

à

M. JACOBO THOMASIO,
Moralis Philosophiæ Prof. P.

Respondebit

JOHANNES-FRIDERICUS HEROLD,

Hallensis Saxo;

ad diem 26. Maji

H. L. Q. C.

LIPSIÆ

Typis RITZSCHIANIS.

M D C LV.

*Johannes-Fridericus Herold
respondebit*



V I R O

Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo
Dn. VALENTINO EBERTO Seren. Elect. Bran-
denburg. Consiliario intimo, & Dicasterii Cüstri-
nensis Assesori gravissimo.

Ut &

V I R O

Plurimum Reverendo, Amplissimo, Excellentissimo
Dn. ELIÆ SIGISMUNDO REINHARDO, S.S.
Theologiae Licentiato ut & Ecclesiae Berolinensis
Pastori vigilantissimo.

Insimuletiam

V I R I S

*Nobilibus, Prudentissimis, Spectatissimis, Humanitate atq; Integri-
tate fidei maximopere conspicuis*

Dn. MICHAELI Brummern.

Dn. GEORGIO ULRICO Welschen.

Dn. FRANCISCO Beren.

In Inclyta Lipsiensi Civitate Senatoribus facile primariis.

Ut &

V I R I S

*Præstantissimis, Integritate fidei præclaris, Humanitate atq; omnium
virtutum genere maximè conspicuis*

Dn. CAROLO Günther Born.

Dn. ANDREÆ Eggern.

Dn. HENNING Lochau.

Dn. JACOBO Zägern.

*Dn. Mæcenatibus, Promotoribus, Patronis Fautoribus, respe-
ctivè affinibus suis omni venerationis cultu colendis, Hoc
qvale, qvale Exercitium academicum in debite gratitu-
dinis monumentum, ulteriorisq; favoris incitamentum*

D. D. D.

Johannes-Fridericus Herold,
Respondens.



Juvante Triuno!

I.



Emperantiam Græci Σωφροσύνην dixere. Hujus vocis Aristoteles neque III. *Nicom. capp. 10. 11. 12.* neque III. *Eudem. c. 2.* neque I. *Magn. Mor. c. 22.* neque *sect. XXVIII. probl.* ubi tamen ex professo de hâc virtute agitur, etymon profert: tantum VI. *Nicom. 5.* ubi de Prudentiâ tractat, obiter & aliud agens admonet, dictam esse σωφροσύνην, ὡς σώζουσιν τὴν φρόνησιν.

Vocis Græcæ
ETIMON

Dialecticum:

2. Manifestum est, causæ eum ibi suæ servasse, neque observasse imperia Grammaticorum, qui σωφροσύνην primum à σώφρων, deinde hoc à σώς vel σώος, & φρόνην deflectere jubent, ut propriissime denotetur eâ voce non virtus aliqua particularis prudentiæ conservatrix, sed ipsa tota mentis incolumitas ac valetudo. Quam significationem quoniam videbat Aristoteles paulò aliam esse à suâ, quâ in Ethicis ipse utitur, permisit sibi cogitare de etymo suæ doctrinæ convenientiore, aut potius Platonem magistrum secutus est, qui consimiliter σωφροσύνην quasi σωτηρίαν τῆς φρονησεως appellatam scripserat.

Grammaticum.

3. Hos viros tantum abest ut hîc reprehendendos putemus, ut exoptemus potius eorum æmulari negligentiam (si sic vocari fas est,) quàm seculi nostri obscuram diligentiam, ubi nefas putant propemodùm, argumenti philosophici tractationem suscipere, nisi prius exquisitum Grammatistam egeris, & è Lexicographis cumularis nescio quæ, ad propositum quæ nihil faciant.

4. Nos uti nunc dabimus aliquid inolitæ consuetudini, quæ à vocabuli expositione ordiri jubet: ita vicissim dari nobis hoc petimus, ut de *Temperantiâ* scripturis liceat eam, quæ in hoc genere decet, *temperantiam* adhibere, nec alienis immorari, sed exemplum accipere à Philosopho, qui cum in hâc ipsâ disputatione incidere in



Onomatologiam τῆς Ἀκολασίας, tametsi satis habebat exploratum, petulantiae puerili prius esse hoc nomen impositum, quam in-
temperantiae grandiorum, tamen celeriter hanc eruditionis partem
prætervectus est, apertè profitens, id utcunqve se habeat, ad rem
præsentem nihil interesse, III. Nicom. 12.

HOMONY-
MIA.

Significatio

1. generalis-
sima.

5. Hoc ergò in primis videamus, quomodo voce τῆς Σωφρο-
σύνης, qui moralia tractarunt, usi fuerint. Primum nomen hoc fuit
virtutum omnium universale. Stobæus *serm. V. circa fin.* Σωφρο-
σύνη ἐστὶ καθολικὴ πασῶν τῶν ἀρετῶν ἐπωνυμία.

6. Huc duxit ipsum vocis etymon primigenium, quasiqve na-
turale, de quo thesi 2. diximus. Is enim σωφρων vocabatur, qui sana
mentis esset: unde & illi ἀφρων, & quod idem est, χαλίφρων, item
νήπιος: & τῆ σωφροσύνη ἡμανία opponitur. Vide Camerar. ad
Nicom. p. 146. Suid. in Σωφροσύνη, Stobæum d. l. alios. Sanitas autem
mentis in virtutibus posita est tum intellectualibus, tum moralibus.

2. generalis.

Ubi virtu-
tum cardini-
alium.

7. Postea cum universam virtutem in quatuor partes secare
placuisset, quæ sunt: Prudentia, Fortitudo, Temperantia, Justitia (vul-
gò cardinales virtutes has quatuor vocamus,) faciliè æstimabis,
τὴν Σωφροσύνην, seu Temperantiam angustius significare cœpisse.

inventores,

8. Hanc partitionem etiam maximè sunt exsecuti Stoici: tamen
ante eos jam Plato eam attigerat: imò etiam Pythagoreis non infamiliarem
fuisse, fragmenta eorum, quæ apud Stobæum *serm. I.* le-
guntur, nobis persuadent.

fundamen-
tum.

9. Operæ pretium est, occasionem ejus cognoscere. Fecerant ve-
teres animæ humanæ partes tres, etiam sedibus distinctas, τὸ λογισ-
τικὸν scilicet in capite, τὸ θυμικὸν in corde, τὸ ἐπιθυμητικὸν in he-
pate locantes. His partibus conveniens putabant totidem virtu-
tes addere. Sic factum est, ut τὸ λογιστικὸν Prudentiam, τὸ θυμικὸν
Fortitudinem, τὸ ἐπιθυμητικὸν Temperantiam sortiretur. Quarta
his accedebat Justitia, quasi reliquarum omnium harmonia quædam
& concentus.

10. Vestigia eorum, quæ diximus, apparent in libello Aristotelis
de virtutibus, quæ tamen νοθεύειν nō dubitamus. Ubi expressè Pru-
dentia definitur virtus τῆ λογιστικῆς, Fortitudo τῆ θυμοειδῆς, Tem-
perantia τῆ ἐπιθυμητικῆς, quibus deinceps alia ab eo, quicunq; illas
definitiones confarcinavit, assuta sunt.

II. Si-

11. Sigillatim quod ad *Temperantiam* attinet, ex eodem fonte fluxerunt definitiones sequentes: *σωφροσύνη μετριότης τῆς ψυχῆς περὶ τὰς κατὰ φύσιν γιγνομένας ἐπιθυμίας τε καὶ ἡδονάς.* Legitur hæc in *ῥηοῖς Πλάτωνος*, scripto pariter, ut de superiore iudicabamus, *ψειδεπιγράφω.* Similis huic Definitioni illa Plutarchi in *Gryllo*: *ἡ μὲν δὲ σωφροσύνη βραχύτις τίς ἐστιν ἐπιθυμιῶν, καὶ τὰξίς.* Nec abludivit Ciceroniana hæc II. *de Inv.* p. 82: *quam & Nicol. Hemmingius lib. de Leg. Nat. tit. de Temperant. ab init.* suam fecit: *Temperantia est rationis in LIBIDINEM atq; in alios non re-ctos impetūs animi firma & moderata dominatio.* Et si nobis quidem Cicero, quem constat passim illam virtutum quadripartitionem sequi, aliter explicuisse videtur *Temperantiam* cum suis partibus, aliter alii.

12. Verum id perscrutari, ad nos, qui Aristotelem sequimur, hæc nihil attinet. Id manifestum, limites *Temperantiæ*, etiam sic, satis amplos mansisse, ut Cicero ipse sudet valde, & vix verborum satis reperiat, cum *σωφροσύνην* Latine reddere vult: *quam soleo equidem, inquit, tum temperantiam, tum moderationem appellare, nonnunquam etiam modestiam. sed haud scio, an rectè ea Virtus frugalitas appellari possit, III. Tusc. p. 193: Et III. Offic. p. 75: Restat quarta pars, quæ decore, moderatione, modestiâ, continentia, temperantiâ continetur.* Nimirum significavit apud eum *Temperantia* moderationem in omni gestu, sermone, & voluptatibus quibuscunqve. Quo sensu & Paulum Apostolum τῆς σωφροσύνης voce in epistolis uti censet Philippus Melanchthon *Enarr. in III. Eth. Arist. p. 365. 366* quem sequuntur Strigelius in *III. Nicom. 10. p. 302.* & Chytraeus in *Reg. Vit. virt. 4. Sexti Præc. ab init.*

13. Hæc de iis, qui quatuor numerant virtutes, poterant sufficere in præsentiarum. Nam quomodo Platonici singulas earum quatuor gradibus virtutum, politico scilicet, purgatorio, animi purgati, & exemplari applicent (vid. *Macrob. I. in somn. Scip. 8.*) quoniam tenebrosiora sunt illa, quam ut lucem nostræ dissertationi affulgeant, sanè omittamus.

14. Liceat tamen addere id, quod cognitionem habet non & analogiam injucundam, sed neque passim obvium est: eosdem, qui animæ ad bona corporis assignarunt quatuor istas virtutes, corporis quoque totidem sive poris explicatur.

virtutes five bona numerasse, proportione illis respondentia: Prudentiæ quidem εὐαίδησιαν, (seu εὐαίδησιν,) sensuum integritatem; Fortitudini ῥώμην (Eustratius ἰσχὺν vocat, Archytas εὐεντίαν,) robur; Temperantiæ κάλλος, pulchritudinem; Justitiæ ὑγίειαν, sanitatem. Obscurius hæc habentur in fragmento Archytæ ap. Stobæum serm. I. fol. 14. clarius apud Eustratium in I. Nicom. fol. 5; & anonymum scriptorem περὶ ἀρετῆς, quem Joannes Vegolinus edidit, cap. 22. Qui & has inde exstruit descriptiones, seu ὑπογραφάς, ut ipse appellat, συνεπτυγμένας: Φρόνησις ἐστὶν εὐαίδησιαν ψυχῆς: Ἀνδρεία ῥώμη ψυχῆς: Σωφροσύνη κάλλος ψυχῆς: Δικαιοσύνη ὑγίειαν ψυχῆς.

15. Ac contendendum cum his possunt, quæ de Stoicorum sententiâ profert Cicero IV. Tusc. p. 215. his verbis, uti quidem eum locum constituit Camerarius in Comment. p. 59. Sunt enim in corpore præcipua, pulchritudo, vires, valetudo, firmitas, velocitas: sunt item in animo. Ut enim corporis temperatio, cum ea congruant inter se, è quibus constamus, sanitas: sic animi dicitur, cum ejus judicia opinionesque concordant. Ubi observes, non quatuor tantum numerari corporis bona, sed quintam etiam superioribus addi velocitatem. Etenim alia Stoicorum applicatio & expositio hujus analogiæ, sed eadem obscurior, fuit. Unde cum sequitur apud Ciceronem: eaq̄ est animi virtus, quam alii ipsam temperantiam dicunt esse, alii obtemperantem temperantiæ præceptis: temperantiam nõ σωφροσύνην interpretabimur, sed, quam Stoici συμμετρίαν vocabant, uti autè p. 213. quam intemperantiam vocat Cicero, ἀσυμμετρία est, Camerario nos docente in d. I. p. 56. quod sefellisse videtur Freigium p. 302. Ciceroniani, & Hornejum III. Phil. Mor. 6. n. 4. p. 388. qui putant, intemperantiam eo loco esse id, quod τῆ σωφροσύνη opponitur.

3. Specialis.

16. E diverticulo in viam. Tertia τῆς σωφροσύνης acceptio Aristotelis est. Qui aliâ rem viâ aggressus, primò Prudentiam, quæ ipsi est virtus διανοητικῆ, à classe reliquarum omnium, quæ ἠθικαὶ sunt, planè segregavit I. Nicom. 13. deinde τῶν ἠθικῶν ἀρετῶν, seu moralium virtutum distinctiones, non è partibus animi, aut cellis quasi ac sedibus, sed ex objectis diligenter exquisivit. Hoc pacto, pro tribus, quæ relinquebantur, virtutibus, undecim ipsi, vel, ut alii enumerant, novem enatae sunt.

17. Quas

17. Quas tamen in Ethicis commentariis omnibus hoc ordine pertractat, ut primum locum Fortitudo, proximum Temperantia occupet: tum reliquis arbitraria serie interjectis (quæ solæ alium ordinem in Nicomacheis, alium in Eudemis & magnis moralibus obtinent,) ultima omnium agmen claudat *Justitia*: haud obscure id gratificans veteribus, ut ad minimum ordinem ipsorum, quoad posset, retineret.

18. Neesse autem fuit hanc virtutis in novem species sectione *Temperantia* quoque terminos magis, quam antè accidi. Quod cum è dictis per se intelligitur: tum vel maximè hinc patet, quòd partes *Temperantia*, qui eam cum Stoicis unam faciunt de quatuor, plures enumerant, quam qui cum Aristotele unam de novem.

19. Fatemur, nondum satis investigasse nos, quot præcisè partes *Temperantia* suæ faciant *οἱ σωμίζοντες* (sic appellemus jam, qui virtutum numerum quaternario definiunt:) neque enim eodem apud omnes numero, neque iisdem appellationibus eæ partes censentur. Id utiq; videmur affirmare posse, præter *Temperantiam* Aristoteli sic appellatam, sex alias ejusdem virtutes, quæ sunt, *Magnificètia*, *Modestia*, *Magnanimitas*, *Mansuetudo*, *Comitas*, *Urbanitas*, si nò plane, ex aliquâ saltem parte unius *Temperantia* nomine illis concludi.

20. Ut fortasse summus vir Camerarius non satis causæ habuerit, cur in versione textûs Aristotelici III. *Nic. c. 9.* (*nobis est 10.*) Ciceronis exemplum imitatus unam vocem τῆς Σωφροσύνης pluribus Latinis redderet, in quibus etiam *moderatio* est, & *modestia*: qui tamen ipse in *explic. p. 146.* virtutem certam quandam proponi fatetur. Neque id à nobis merita est Peripatetica Schola, ut eam cum Stoicis aut loqui aut sentire cogamus. Porro sectæ utriusque rationes in describendis singularum virtutum finibus, tam sibi diversæ sunt, ut permisceri eorum doctrina, & conglutinari commodè vix queat.

21. Thomas tamen, quâ fuit ingenii acrimoniâ, excogitavit aliquam distinctionem, cujus beneficio hoc, quod diximus, perficere, tresque illas virtutes, quæ è Cardinalibus morales sunt, (de prudentiâ enim hinc solliciti non sumus, quamquam neque hanc ille prætermisit,) universo gregi Peripateticarum moralium exæquare conatus est. Sed hoc conatu rem mirâ & *αἰπεροδόντων* effecit, ut Peripatetici

Ostenditur
eam cum generali
misceri non
debere.

tetici præ Stoicis non, ut antè, copiâ virtutum, sed inopiâ laborare viderentur.

22. Distinxit inter partes virtutum *integrales, subjectivas, & potentiales*, quasqve Peripatetici, v. g. Temperantiæ *species* vocarent, *subjectivas* partes ipse appellavit: cæteras, quas apud *σωμικζωντας* præterea, *integrales* partim, partim *potentiales*. Ut ecce: Temperantiæ partes *Integrales* illi sunt, verecundia & honestas: *Subjectivæ*, abstinencia, sobrietas, castitas, pudicitia: *Potentiales*, continentia, humilitas, mansuetudo, modestia, parcitas, moderatio. Vide eum 2. 2^o. q. 143. Seqvuntur ejus hoc institutum Conimbricenses per *Disp. VIII. & IX. Ethic. integras*.

23. Verùm, ut ipsam distinctionem non examinemus, applicatio ejus multa & magna incommoda hæc habet, quòd semivirtutes virtutibus perfectis miscet, diligenter ab Aristotele distinctas, à Stoicis verò planè exclusas, ut qui negarent ullam virtutem esse imperfectam: quòd rursus alia dividit, quæ conjungenda forent: quòd assumit quædã, quæ Stoicis reliquisse præstiterat: quòd *σωμικζωντων* diversorum diversa in unam molem cõflat, iisq; sensum alicubi non suum rescribit, sed novum à Peripato infundit: quòd compagem Aristotelicæ disciplinæ sic satis ordinatam hæc in parte prorsus dissolvit, & mirificè perturbat: pessimam proculdubio ab utriusqve sectæ principibus, quos conciliare studet, si reviviscerent, gratiam reportatura.

24. Voluit credo Doctor Angelicus consulere studiis discipulorum, ut hæc introductione præparati expeditiùs versarentur in lectione tum SS. Patrum, tum profanorum, qui pleriqve per secula benè multa Platonicè magis quàm Aristotelicè philosophati, quatuor illas Cardinales virtutes, de quibus nominatim inscriptus Dumienfis cujusdam abbatis Martini libellus diu inter opera Senecæ lectus est, non infrequenter tinnunt. Sed si, quàm Aristotelicæ doctrinæ, tam Stoicæ quoqve aut Platonicæ fundamenta ac rationes exploratas Thomas habuisset, puto inani operæ parcere maluisset, quàm tenebras nobis pro luce afferre.

25. Cui ut ignoscere nos æquum est, ævi sui magis, quàm suo vitio peccanti: ita conveniet nunc, Aristotelicam Temperantiæ acceptionem ab illâ *σωμικζωντων* cautè segregare, neqve ullas ejus partes

partes alias concipere animo, nisi quas *subjectivas* appellabat Thomas, ut scilicet cogitetur illa virtus, quæ hinc *gula*, hinc *Veneri* modum præscribit.

26. Quam significationem popularem maximè iis temporibus, quibus scribebat Aristoteles, fuisse, indicant ejus verba, quibus docet, non circa voluptates aliorum sensuum aut animi, *σωφρονα* vel *ἀκόλαστον* solere quænam nuncupari: quod quidem de cardinali *σωφροσύνη*, quæ doctorum erat potius, quàm multorum, affirmare non potuisset. Id fanè in Aristotele præter alia dignum laude, quòd non, ut aliæ sectæ, in hac civili sapientiâ, novitati verborum studuit.

27. Adeò autem, quod diximus, *specialem* τῆς *σωφροσύνης* notionem popularem fuisse, verum est, ut etiam *specialissimè* usurpata hæc vox, pro *castitate* seu pudicitia, (quæ nostræ temperantiæ altera solum pars est,) non infrequenter occurrat. Cujus rei exempla è Camer. ad *Nicom.* p. 146. Stobæo *fol.* 64. 65. 66. & Lexicis, qui volent, perat. In has angustias tandem græca vox ex illâ primâ amplitudine suâ deducta est.

4. *specialissima.*

28. Latini vocabuli non benignior fors fuit. Tametsi enim, posteaquàm Cicero cardinalem illam *σωφροσύνην* potissimum *Temperantiam* (in quâ *moderationis* haud dubia significatio est,) transferendam putavit, Peripatetici hoc idem nomen specialiori suæ *σωφροσύνη* induerunt: tamen hoc nostro & superiore seculo, quo multi multa in morali philosophiâ tentavere, obtineri non potuit, ut omnium Ethicorum eadem lingua esset.

Latina vocis
HOMONYMIA,

29. Scaliger III. *Poet. cap.* 1. *fol. m.* 82. cum non nisi duos habitus morales extudisset, Justitiam, & Fortitudinem: *Temperantiam* nullis rationibus à quæpiam virtutum voluit esse *distinctam*, sed *matrem* & *normam ceterarum omnium*. Putes eum in mente habuisse *συμμετρίαν* illam Stoicorum, de quâ supra *th.* 15. diximus, latisimâ vocis hujus acceptione. Respondet enim ipsi mediocritati seu *μετριότητι* Peripateticorum.

quoad sensum
Scaligeri.

30. Alstedius *Lib.* XXI. *Encycl. cap.* 9. Temperantiam præficit non voluptatibus tantum. nutrimenti & Veneris, ut Aristoteles, quas internas vocat, sed externis quoque circa vestitum, domum, supellectilem, & alia quædam.

Alstedii.

B

2L. Wen-

Wendelini,

31. Wendelinus *Phil. mor. lib. I. c. 15.* præter continentiam (quæ est ipsissima nostra Temperantia) Parsimoniam quoque Temperantiæ suæ ambitu complectitur, Abr. Scultetum auctorem secutus. Mirum autem, in quas tricas hîc induere possit inexercitatum Lectorem, dum *Continentia* vocem modò suo, modò Peripateticorû sensu, apud quos hæc certæ semivirtutis appellatio est, prout in buccam venit, aut potiùs prout usurpaverant, quos describit, effert: adeò oscitavit in eo opere ἀμαξίασιν, in quo cave iudicium quæras. Quod hîc obiter monendum duximus Studiosam juventutem, cum videremus pasim ex eo constipari bonam partem Ethicarum vulgò disputationum.

Philippi,

32. Jam, ut hi omnes *ampliùs*, quàm nos, Temperantiæ vocabulum extendunt: ita *pressiùs* constrinxit Philippus Melanchthon, usurpans pro mediocritate in cibo tantum & potu, (*nam in his*, inquit, *Latini propriè utuntur Temperantiæ nomine*, enarr. in III. Eth. Ar. p. 365.) non etiam in Venereis. Philippum hîc sequuntur Strigelius *ad III. Nic. 10. p. 303.* & Chytræus *in regulis vite*, qui Synonymon Temperantiæ facit *sobrietatem*, atque sic Temperantiam à Castitate, ut speciem à specie distingvit.

nostrum,

33. Nos verò cum Peripateticis castitatem pariter & sobrietatem isto modo acceptam, Temperantiæ, ut species, easque solas, generi, includimus.

SYNONY-

MIA.

græca,

34. De cætero videmus hanc virtutem ab Aristotele etiam κοσμιότητα appellari II. *Nico. 8. prope fin.* quam aliàs Græci partem faciunt Cardinalis Temperantiæ. Vide libell. *Arist. de virt. ubi τὰ τῆς σωφροσύνης*, & *VVegelein. ad anon. de virt. p. 349. 424.*

latina.

35. E Latinis Wendelino *Continentia* nomen, quod pro Temperantiâ Peripati substitueret, placuisse, thes. 31. innuimus. Quod nomen aliàs Laur. Valla IV. *Eleg. 41.* & ante eum Martinus Dumiensis aliique non pauci cardinali Temperantiæ; Peripatetici virtuti cuidam imperfectæ assignarunt.

DEFINI-
TIO.

36. Plus satis tandem de voce. *Definitionem* rei illustrissimam è magnis moralibus hanc afferimus: Σωφροσύνη ἐστὶ μεσότης περὶ τὰς ἡδονὰς καὶ λύπας, καὶ ταύτας τὰς ἐν ἀφῆ καὶ γέυσει γινωμένους. *Temperantia est mediocritas circa voluptates & dolores eos, qui ob tactum gustumque eveniunt.* Cujus intellectus perspicuus est, modò id unum

præmo-

praemoneare, verecundè Aristotelem, (ut in hâc totâ tractatione mirus est custos τῆς σεμνολογίας) ταῦς vocabulo id significasse, quod Terentianus interpres decantato loco quintam amoris lineam vocavit: etsi cur verbo sensûs hîc uteretur Philosophus, & alia causa fuit, ut post intelligatur thes. 49.

37. In comprobandâ hâc definitione, id unicè curare nos oportet, ut planum faciamus, *Objectum* (unde virtutis cujusque *differentia specifica* peti solet) esse rectè constitutum. Nam de *genere* res jam alibi evicta est.

OBJE
CTUM.

38. Qui ante Aristotelem Ethica tractaverant, Temperantiæ totam facultatem concupiscibilem, hoc est, *voluptates* in universum *omnes*, objecerant, (vid. th. 9.) Cujus sententiæ luxuriam rectè Aristoteles castigavit, & ipsam Temperantiam intrâ limites Temperantiæ reduxit.

voluptates.

39. Concesfit, in *voluptatibus* versari hanc virtutem: in *omnibus*, negavit. Itaque excepit primò voluptates *animi*; deinde *sensuum* corporis *trium*, quæ *primi* numerantur; tandem *taῦς* quoque eas, quæ non sunt *venereæ*.

non animi
aut sensuum
nobiliorum.

40. Nihil ergò, inquires, in istis voluptatibus peccatur? Sanè peccatur. Sed his peccatis corrigendis alias virtutes quarere oportet, quæ aut certa nomina habent, ut modestia, quæ vetat honoribus nimium delectari: aut generali quodam nomine *Continentiæ*, non ἀπλῶς dictæ, sed mentione *objectorum specificanda*, ab Aristotele appellantur, utpote, continentia videndi, audiendi, olfaciendi, & si quæ sunt similes.

ut quæ ad
alias virtutes
pertinent
per se.

41. Non pigebit ipsa ejus verba adscribere, ἐ III. Eudem. 2. περὶ δὲ τὰς δι' ὄψεως, ἢ ἀκοῆς, ἢ ὁσφρήσεως ὀσμάς (suspecta vox: vult autem manifestè ἡδονὰς aut quid tale intelligi,) εἴθεις λέγεται ἀκόλαστος εἰὰν ὑπερβάλλῃ· ἀλλ' ἄνευ ὀνειδῆς τὰς ἀμαρτίας ψέγομεν ταύτας, καὶ ὅλως περὶ ὅσα μὴ λέγονται ἐγκρατεῖς οἱ δ' ἀκρατεῖς ἐκ εἰσὶν ἀκόλαστοι, εἰ δὲ σώφρονες. Quæ ut claram interpretationem è cap. 4. lib. VII. Nicom. capiunt: ita vincunt, Giphanium *Comm. in III. Nic. 10. p. 238.* excessus hujusmodi minùs ex sententiâ Aristotelis, *luxus* nomine ad *Liberalitatem* amandâsse.

42. Possunt tamen voluptates aurium, oculorum, narium ad Temperantiam *obliquè*, seu, ut vocant, *per accidens* revocari: Sed

huc autem
per accidens
non
modo.

non nisi *in certo casu*, ubi nimirum non terminent ipsæ per se appetitum, sed intemperantiæ capacium sensuum desideriiis quasi ancillantur: puta, si quis aspectu sceminae, odore vini, strepitu veruum gaudeat cum potiendi cupiditate prædominante: quemadmodum voluptas, quam numibafu intuendis numis, audiendove eorum tintu capiunt, procul dubio obliquè ad Liberalitatem pertinet.

sed gustus & tactus,

quia

cum brutis

has communes habemus.

43. Remotis ergò reliquis ad Temperantiam *proprie & per se* retulit Aristoteles voluptates *nutrimenti & Veneris*. In quo non tantum receptæ loqvendi consuetudini, (*vid. thes. 26.*) sed rationi quoque sapientum paruit, qui censuisse videntur, iis maximè vitiis opponendam esse temperantiam, per quæ homo brutis posset quàm simillimus effici. Sunt autem ea gula certè, & Venerea libido.

44. Equidem habemus & alios sensus cum brutis communes, sed eorum voluptas propria nobis. Nam quòd allici etiam bestiae cantu videntur, non eò fit, quasi τὸ εὐδέμοσον, & τὸ τοῖς ἡθροῖν ὁμοιον, quod est huic parti proprium, & ab homine solo comprehensibile, persentiscerent, sed vel ob aliud quiddam, quod τὸ κοινὸν τῆς μουσικῆς vocat Philosophus VIII. Polit. 6. (*vid. Muret. ad Nicom p. 250. seqq.*) vel per accidens, & in relatione ad alios sensus (*vid. th. 42.*) vel etiam ex quâdam assuetudine, (*vid. Camer. ad Nicom p. 147.*)

45. Hanc rem profundius sic eruamus. Certum est, animantibus sensus ideo datos esse primariò, ut eorum ministerio præparata res sibi convenientes prosequerentur. Nihil autem convenientius conservatione tum *sui*, tum *speciei*: quorum alterum *alimenti* assumptione, alterum usurpatione *veneris* perficitur. His duobus manifestum est è sensib. universis duos proximè cohærere, *gustum & tactum*. Cæteri inserviunt & illi quidem his naturæ consiliis, sed remotiore operâ.

46. In homine verò, quem præcipuâ sui parte immortalem, & nec cibi nec veneris indigum fecit creator: ministrant quidem corpori gustus & tactus (qui sunt sensuum maximè terrestres & corporei) ad ea, quæ diximus: reliqui verò, oculorum imprimis atque aurium (nam odor est quasi ambiguum quiddam, & medium extremos connectens,) magis animæ ad scientias sibi proficuas. Unde nobis oculos ad cœlum, ut è stupendo maximè opificio
DEUM

DEUM æstimaremus, erexit natura, nõ, ut brutis, ad partum abjecit.

47. Nulla ergò voluptas *θηροδεδερα*, quàm gustûs illa & tactûs. Itaque & *pueros* (qui animalis vitam vivere dicuntur) non pulchri colores, non concentûs harmonici, non florum suaveolentia, sed unicè nutrimenti convenientis dulcedo delenit & placat, ad venerem quidem prorsus *ἀναγλήτης*. Et *servi* (alterum ex hominibus bestiarum simulacrum) in comœdiis inducuntur ventris causâ omnia patientes; quemadmodum & illi, qui meretriciis amoribus intricati sunt, servire durissimam servitutem cernuntur, ut rectissime has voluptates *ἀνδραποδάδεις καὶ θηρώδεις* appellaverit Philosophus III. Nic. 10. ubi vide Muret. p. 254. ὁ βίον ἀπολαυσικόν, quod est vivendi fœdissimum genus, βοσκημάτων βίον, I. Nic. 5.

48. Est autem βίος ἀπολαυσικός eorum, qui ventrem tantum, & quæ sub eo, curant, convenienti nomine ἀπὸ τῆς ἀπολάυσεως dictus, quæ est h. l. peculiari sensu id, quod gustus & tactus noster, cum sint aliàs specificis differentiis discreti, commune habent inter se, nec commune tamen cum cæteris sensibus, sed ad se solos restrictum. Vocat & ἀφήν Philosophus seu tactum speciali nomine, sed quod eâ, quâ diximus, latitudine exaudiendum sit.

maximè tamen tactûs :

49. Sanè & gustatio & illa perfruitio venerea, tactûs sunt quidam, sed à cæteris non sensibus modò, sed tactibus quoque, qui sunt caloris, frigoris, & similibus qualitatibus perceptiones, distingvendi. Quod si fortassè negligunt facere Physici, non negligere tamen Ethicorum interest, ut unam virtutem unitate objecti adequatè determinent.

eiusq. sui generis.

50. Id voluit Philosophus his verbis III. Eud. 2. εἰδὲ περὶ ἀπαντὰ τὰ ἡδέα ὁ σώφρων ἐστίν, ἀλλὰ τῆ μὲν δόξῃ περὶ δύο τῶν ἀήθητῶν, περὶ τε τὸ γευστὸν καὶ τὸ ἀπτὸν. τῆ δ' ἀληθείᾳ περὶ τὸ ἀπτόν. Igitur & ἀφήν ipsi est κοινοτάτη τῶν ἀήθησεων, καὶ ἡνὴ ἀπολαυσία, III. Nic. 10. & in definitione quæ ex eo th. 36. attulimus τὴν ἀφήν τῆ γεύσει præposuit.

51. Enim verò gulones non tam sapore, quàm tactu rerum sapidarum delectari, vel hinc probes, quòd frui, h. e. pati volunt. At gustandi præcipuum officium est iudicare, quòd agendo perficitur. Maneat ergò, circà tactum magis, quàm gustum versari Temperantiam.

52. Ineptiunt hîc egregiè Ethicorum multi, dum pronunciati hujus hanc etiam causam afferunt, quòd latisimus sensuum tactus per totum corpus sit diffusus, gustus verò in exiguâ corporis parte hæreat: decepti malè intellecto loco Aristotelis, quem *thes.* 50. descripsimus, ubi sensuum eorum, circâ quos temperantia versatur, communissimum dixit tactum. Qui si inspexissent saltem verba extrema cap. ejusdem, è quo hæc prompta sunt: *ὅ γὰρ περὶ πᾶν τὸ σῶμα ἢ τῆ ἀκολάστια ἀφῆ. ἀλλὰ περὶ τινὰ μέρη*, intellexissent, quàm frigidum sit, de tactu illo per totum corpus disperso aliquid crepare eo in loco, ubi de longè alijs generis tactu differendum erat.

quibus dolores
certi opponuntur,

53. Voluptati, quam Temperantia moderatur, opponitur certi generis *dolor*: qui qualis sit, ut rectiùs cognoscatur, prænotamus, dolorum esse genus duplex, *positivum & privativum*, quorum illud è molestæ rei præsentia, hoc ex absentia rei delectabilis nascitur. Et ex hoc genere posteriore sunt dolores, circâ quos temperantiam post voluptatem versari dixerat in definitione Philosophus. Nascuntur enim ex absentia rerum, neque tamen quarumlibet, puta opum, amicorum (alii enim dolores ad alias virtutes pertinent,) sed præcisè earum, quæ præsentia suâ voluptatem eam, quæ hujus loci est, afferunt, nimirum cibi, potûs, veneris.

ut objectum
secundarium
primario.

54. Jam quòd dicit Aristoteles II. *Nic.* 7. & III. 10. minùs in dolorib. quàm voluptatibus versari Temperantiam: in eo vult ostendere discrimen aliquod inter Fortitudinem & Temperantiam. Ut enim Fortitudo cum sit τῶν φοβερῶν (quæ & λυπηρὰ vocat) καὶ θάρραλέων, magis tamen cernitur ἐν τοῖς λυπηροῖς: ita contra Temperantia, cum sit ἡδονῶν τε καὶ λυπῶν, minùs ἐν ταῖς λύπαις cognoscitur: cum difficilius sit in præsentib. voluptatibus modum servare, quàm absentium dolores habere in potestate.

55. Adde, quòd Temperantia versatur circâ dolores propter voluptates, quippe à doloribus intentas quasi & demonstratas, non contra. Magis ergò circâ voluptates, quàm dolores. Itaq; & dolores vocant quidam objectum Temperantiæ *secundarium*: ut *primarium* scilicet sint voluptates. Quæ nec frustra in definitione Temperantiæ primo loco memorantur, ut in definitione Fortitudinis τὰ φοβερά.

56. Solet hîc & alia objecti distinctio afferri, non mala sanè, nec inutilis

inutilis ad vim temperantiæ meliùs animo imprimendam, in *externum* & *internum*, ut *externum* sint gustabilia (*σιτία καὶ ποτὰ*) & tangibilia (*ἀφροδίσια* III. Nic. 10.) *internum*, eorum appetitus, seu cupiditas. Quoniam enim *ὁ σώφρων ἐστὶ περὶ ἡδονάς, ἀνάγκη καὶ περὶ ἐπιθυμίας τινὰς αὐτὸν εἶναι*, III. Eud. 2.

57. Has cupiditates dividit Aristoteles III. Nic. 11. in *communes* seu *naturales*, & *proprias*, seu *qvæstas*, *possis* & *voluntarias* appellare. *Naturales*, ἀπλῶς appetunt objectum externum sine fastidio delictato; *Qvæstas*, non nisi per circumstantiam singularem morosæ libidinis arbitrio determinatum: puta si quis è piscibus solum lupum aut mullum non fastidiat, aut ne lupum quidem nisi Tiberinum, eumq; inter duos pontes captum: ne mullum quidem, nisi quem in ipso convivio natantem palpitantemqve viderit, attingere dignetur: quo stomacho quosdam olim Romanorum fuisse constat.

58. Utriusque generis cupiditates materia sunt, in quâ Temperantia occupatur, sed diversimodè. Nam *naturales*, quippe simplices, & in se non malas intrâ modum tantum subsistere jubet: *voluntarias* autem illas, ut ipso naturæ contemptu legumvè dedignatione malas ac nequam, prorsus vetat in actum erumpere.

59. Temperans igitur habeat se in istis voluptatibus, ut *ὁ πάχων καὶ μὴ ἀγόμενος*, I. m. m. 22. Ipse sit Dominus cupiditatum, non mancipium. Erit autem, si eas doceat parere legibus rectæ rationis: quas tribus quasi articulis sic licebit cum Aristotele complecti: *ἐπιθυμειὸ σώφρων ὦν δεῖ, καὶ ὡς δεῖ, καὶ ὅτε*, sine lib. III. Nic. Rationem ergo habebit temperans *objecti, modi, temporis*: addeamus postea, quod præcipuum est, *finis*.

60. Quantum ad *objectum*: sunt quædam, à quibus abhorret natura, ut in cibis, humana caro. Alia fieri potest, ut lege sint prohibita, quemadmodum apud Judæos suilla & leporina. Τα ἀφροδίσια maximam restrictionem passa sunt, ubi extrâ matrimonium quicquid in eo genere fit, noxa est. His igitur sibi interdictum putabit temperans.

61. Quantum ad *modum*, quatuor meminerimus: ne nimis multum aut parum: ne nimis cupidè aut torpidè: ne nimis festinè aut lentè: ne nimis sæpè aut rarò. Quod ipsum ad *tempus* quoque pertinet.

62. Ubi prætereà optimum factu erit, si statis temporibus corpus reficiat-

Objectum
externum &
internum,

& interni
divisio.

FORMA,

ubi officium
Temperan-
tia.

circâ obje-
ctum:

circâ modum.

circâ tempus:

reficiatur, neque in noctem profundam cœnæ protrahantur, aut ita
continuentur prandiis, ut ad mensam nunquam famelici accedam⁹.
Id enim valetudini, ut quod maximè, incommodat, quam imprimis,
utpote ab ipsis naturæ cupiditatibus intentam, respicere hîc par est.

circà finem.

63. Et huc pertinet illa lex honestatis in omnibus virtutum actio-
nibus suprema, quæ *de fine* earum admonet. Finis ergò & temperan-
tiæ honestas est. Honestum autem naturæ obtemperare in necessa-
riis. Natura verò paucis contenta, unde Temperantia defectui
quam excessui propior. Cujus legem suo modo bestiarum pleræque
observant. A quibus vinci hominem turpe.

64. Porro manifestum, ultimam naturæ intentionem in his non
τὸ ἡδὺ, sed τὸ ὠφέλιμον esse. Ergò summo operè cavendum, ne im-
ponat nobis πρῶτον illud ψῆδος, quasi his in rebus syavitatem pro
extremo fine habere oporteat. Quæ origo fuit omnium cupiditatum,
voluntariarum. Itaque salubria jucundis præponet temperans: quia
& cum bulgâ rationes putabit, ne parvi temporis lautitiam aliquot
annorum esuritionibus luere cogatur.

OPPOSI-
TIUM
occultum:

65. Neque tamen, quem hic aut similis metus in officio con-
net, absque eo si esset, gulæ strenuè litaturum, temperantem voca-
bimus, quia non καλῶς ἐνεκεν id facit. Ὅστις γὰρ τῶν τοιούτων ἡδονῶν
τῆς ὑπερβολῆς ἀπέχεται ἢ διὰ φόβον, ἢ δι' ἄλλο τι τῶν τοιούτων,
ὁ σὺ φρονίμω, I. m. m. 22. Notetur memoriæ causâ versus veterum apud
Pomer. serm. VII. quadrag.

Abstinet eger, egens, cupidus, gula, simia, virtus.

manifestum,
in excessu:

66. Temperantiæ in excessu opponitur Intemperantia, græci
ἀκολασίαν vocant. Ejus Aristot. III. Eud. 2. quatuor numerat partes,
seu species, οἰνοφλυγίαν, γαστριμαργίαν, λαγνείαν, & ὀψοφαγίαν.
Quarum λαγνεῖα indubiè circà Venerem est, cæteræ circà victum: &
in ποτῷ quidem οἰνοφλυγία, in cibo verò γαστριμαργία cupidita-
tibus naturalibus, & ὀψοφαγία voluntariis peccans.

in defectu.

67. Vitium in defectu, quoniam rarissimum est, nomine vulgò caruit.
Eruditi, ne maneret planè ἀνώνυμον, alii ἀναμθησίαν, ut ferè Aristoteles,
qui & ἀνάληπτον πρὸ ἀναμθησίου, alii aliter, eodem teste III. Eudem. 2.
appellavere. Sanè anonymo *de virt. c. 17.* est ἡλιθιότης.

SPECIES.

68. Divisionem Temperantiæ in species nullibi apud Aristotelem expres-
sam novimus. Sed eam ex objecti multiplicitate facile est invenire. Aliud
enim genus Temperantiæ in alimentis, aliud in Veneris cupiditatibus occu-
patur: quorum illud Frugalitas, hoc Castitas ut appelletur, plerisque place-
re video. Has species Temperantiæ univocas, non analogas esse, defen-
dere non dubitabimus. Atque hæc de Temperantiâ sufficiant.

F I N I S.

01 A 6541

f

ULB Halle 3
003 090 396




TA → OL

10/18
VJ 17







B.I.G.

Farbkarte #13



10

Q. B. V.

TIO ETHICA

De

RANTIA,

ultatis Philoso-

rmissu proposita

à

THOMASIO,

ilosophiæ Prof.P.

Respondebit

DERICUS HEROLD,

llensis Saxo;

diem 26. Maji

H. L. Q. C.

LIPSIÆ

RITZSCHIANIS.

D C LV.

